

INGENII ROMANTICI,  
ÆVO MEDIO ORTI,  
EXPOSITIO HISTORICA;

QUAM

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

*Publico examini modeste offerunt*

*Mag. ADOLPHUS IVAR. ARWIDSSON*

&

*GERMUNDUS FRIDERICUS AMINOFF,*

*Nobilis, Stip. Publicus, Wiburgenses.*

In Audit. Philos. die 16 Aprilis 1817.

h. a. m. f.

---

A B O Æ, typis FRENCKELLIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DEPARTMENT OF CHEMISTRY

1950

RESEARCH REPORT NO. 10

BY J. H. GOLDSTEIN

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILLINOIS

1950

IN THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1950

RESEARCH REPORT NO. 10



Wenn man von allen Zeiten ohne Unterschied, eine und dieselbe Art von Ausbildung verlangt, und wo man diese nicht findet, gleich alles verwirft, so ist dies nicht nur einseitig, sondern auch falsch und gegen den Gang der Natur,

FR. SCHLEGEL;

**N**ullum virtutum sterile sæculum, nulla natio. Floret unusquisque populus suo tempore, quo virtutibus enitet heroicis, claris excellit factis. Rem historia testatur. Inclaruit quondam Græcum nomen, innotuit Romanum; præclara ceterarum nationum edita facinora fama sunt pervulgata. Exstincta gentis alterius illustrium factorum luce, alterius fulgurantissima splendet flamma. Nube omnia rarissime simul obscurantur cælorum sidera. *Ævo*, quod medium vocant, Christianismi viguit heroica ætas <sup>a</sup>). A religionis enim Christianæ miti divinaque vi, cum boreali illius cultorum robore conjuncta, ingenium est profectum temporis, quo ferociam lenitas,

A

---

a) "Die Heldenperiode des Christianismus." A. H. L. HEEREN, *Kleine Histor. Schriften*, Ditt. Thl., Göttingen 1808. p. 12.

nitas, mores licentiam, Religio & amor omnia temperarunt, Vim ubique regnantem physicam majores confitebantur; eandem divinam, spiritualem & infinitam nepotes agnoscebant, Illam huic esse submissam, præ æternis & infinitis mundana, fumi instar, evanescere, perspiciebant. Spirituale imperium profitebantur, omnia, ut terram cœlum, sua potestate amplectens. Huic vires, vitam & salutem homines devovere oportet. Humana ita divinis concilianda; nec alio opere homo salvus faciendus. Ortum est ita singulare ævi medii ingenium. Inde sancta bella, inde in Asiam non exercituum itinera, sed gentium demigrationes *b*). Effulsit phænomenon admirandum, ordinis equestris societas, alma luce terram colulustrans. Perfusus erat per totam fere Europam, ut pro Dei gloria certaret, præsidiumque innocentibus afferret, hiece militantium ordo. Religionem, bellicam virtutem & amorem, intimo vinculo sua in mente eques servavit conjuncta. Ensem sacrauit *divinæ Dei matri, cœlique imperatrici*. Feminæ sexus tutelæ jurejurando se obstrinxit. Feminas, matris divinæ in terra imagines, cultu fere sacro est profecutus, Ex sæculi ingenio & quasi ex corde populorum, coelesti adspirante aura, veris vigore effloruit poësis, ab antiqua valde diversa. Mirabilis flos, qui, ob variantes colores & lumina micantia, depictu

---

*b*) Esse & fuisse non ignoramus, qui, indignatione, qua possint, maxima, splendidam hanc humani generis vituperarint intemperantiam, qua immensæ vires & divitiæ, quæ in rebus consumi potuissent utilioribus, prodige sint profusæ. Utilitati adhæreat, eandem Religionem habeat, cujus ita ferat ratio. — Perlegat, quem non tædeat: Csp MEINERS, *Histor. Vergleichung der Sitten und Verfassungen, der Gesetze und Gewerbs, des Handels und der Religion, der Schulen und Wissenschaften des Mittelalters mit denen unsers Jahrhunderts.*

pietū difficilis, fructum etiāsi non protulerit maturum, ver tamen adfuisse testatur c).

Ad propius considerandam accuratiusque describendam indolem, (quam characterem Romanticum appellare moris est), temporum, in quæ omnia hæcce incidunt, specimen edituri Academicum, nos accinximus. Materiei dignitas, ut opus hoc subiremus, nobis persuasit, nescii etiāsi non simus, tanto operi non esse juveniles vires admodum pares. Cum vero tantæ in nos suscepimus quæstionis pondus, rerum vehementer rogamus æstimatores æquos judicesque, benigne ut ignoscant, si ab infirmis nos fraudatos animadverterint viribus.

16

Rem in quæstionem vocatam ut in conspicuo collocare possumus, eventuum feriem altiore initio repetendam judicamus, quò melius appareant rerum fontes, causæ & rationes. Nihil nempe casu evenit, nec saltu, cum alter alterum ita semper determinet eventum, ut eorum quemque, temporibus & factis præcedentibus, quoad genium, tempus & locum, quibus distinctus in scenam producit, accurate fixum & statutum videamus d).

Do-

c) FR. SCHLEGEL, *Geschichte der Litteratur*. Upsala 1816. p. 319.

d) De qua re plura docent: F. W. J. SCHELLING, *System des transcend. Idealismus*, imprimis p. 332. EJUSDEM, *Vorlesungen über die Methode des academ. Studiums*. Stuttgart und Tübingen 1813. — Athene, *Et Maanedskrift*, udgivet af Caa. Mølbach, Kiøbenhavn 1816, April, *Brudstycker af en Afhandling om Historie og Oldkyndighed*. — *Lånna*, Andra Häftet: *Om Historien och dess förhållande till Religion, Saga och Mythologie*.



Dominatrix terræ fere totius Romana respublica, solio in ruinis everfarum civitatum posito infederat. Orbe vero terrarum subacto, adversarii, nervos & vires civitatis contendentes, quoque deleti. Igitur, in quo bellicosus cives sudarent exercitationibus, campus non fuit; nec ubi domesticæ inclarescerent virtutes. Ipsa natio turbinibus intestinis conquasari incepta est. Luxuria & mollitiæ diffudit gens, tyrannis succubuit, morum puritate & robore destituta. In occasum matura erat. — Eodem modo ilex, valida quæ videtur & firma, robustum in aërem attollit truncum, diffusos & patulos expandentem ramos. Tempestatum & temporum provocare videtur injurias, proprio in gremio destructionis & ruinæ causam fovens. Verme roditur & destruitur putredine, locumque recentibus vacuum reddit germinibus.

Ex alia vero parte, tempore, quo citato cursu in interitum ruebat Romanum imperium, Christiana inter homines divulgata erat Religio. Innumeros sibi brevi temporis spatio adsciverat sectatores, demum a cuncta civitate confessa. Animis puris, firmis & fortibus vim suam divinam infundit illa, molles & abjectos perturbat & debilitat homines. In Romana civitate, ubi omnia in exitium nutabant, mentibus sordidis & effeminatis motus excitabat illa internos, perturbationes, rixas atque religiosa disidia.

Germania diu turbulenta fuerat, Marius cum Cimbris & Teutonibus manum conferuerat, Septentrionalis illius pars \*) innumeram hominum denuo effuderat turbam, cruentissimis bellis

---

\*) *Officinam & vaginam gentium, illam nuncupat JORMANDES, in libro, qui de rebus Getic. inscribitur.*

Bellis a Julio Cæsare demum infractam; Mari effervescenti, quod, procella & tempestate compositis, adhuc tumescit & æstuat, limiles, perpetuo tamen agitabantur hæ gentes. Novus turbo ex imis inde sedibus turgidum & fervens facile ciceret mare, quod fluctus ad littora volveret ingentes, omnia frangentes obitacula. Qui neque diu absuit. Rem videamus.

Nationes Gothicæ oras jam diu incoluerant meridionales Baltici maris vicinasque sine dubio Svecanas f). Diebus jam Plinii & Taciti sedes suas reliquerant, & ad magis meridionales se contulerant regiones. Juxta Danubium flumen ad pontum usque Euxinum sese extenderant. Ad fines regni Romani, nunc bello id turbantes, nunc stipendia ejus merentes, diu vixere.

Afiaticæ nationes, suis ex sedibus internis motibus & vicinis nationibus expulsæ g), ad hos usque populos progressæ, illos circum domicilia occuparunt, Sedes sibi extruxerant quoque ad occidentales & aquilonales Romanæ reipublicæ

---

f) J. A. REMER, *Handbuch d. mittl. Geschichte*, 4te Aufl. p. 152.

g) Urgente sola necessitate impulsos, minime tamen crediderimus Asiæ incolas in septentrionales emigrasse terras. Migrationis causam, magnam ad partem, etiam in Mythis eorum, antiquis opinionibus & fabulis ponemus. Terræ enim partem fructuosissimam & felicissimam, elysium terrenum, in remotissimo septentrione fingunt Indiani, in monte altissimo, *Meru* quem nominant, situm, opulentissimas abscondente divitias & opes, Montem hunc mirabilem scandere, opus est heroibus & semidiis dignum. FR. SCHLEGEL, *Ueber die Sprache und Weisheit der Indier*, p. 193. — EJUSDEM, *Ueber die neuere Geschichte*, Upsala, p. 25. — KANNE, *Erste Urkunden der Geschichte, oder allgemeine Mythologie*.

cæ fines Germanicæ gentes, arctoi advenæ, eædemque liberæ, fortes, validæ & bellicosæ. Semper in armis, aut inter se invicem, aut contra Romanos. Agros horum devastarunt, vel novas sibi ibidem compararunt domos. Quærebant enim domicilia *h*); quæ vero, Germanico more, ni bona cum gratia dedita, armis erant & vi occupanda. Majores repulsi & fere deleti erant; nepotes impetus renovarunt. — Nutabat vero in exitium Romanam regnum vacillans, grandi colosso, dente temporis trito, non dissimile, quem vel levisima tempestatum violentia projicere valet.

Impulsu movebantur ultimo turbulentæ Germanicæ cætervæ, Hunnorum facto impetu, gentis Asiaticæ, regno Sinensi ad aquilonales fines conterminæ *i*). Magnum & potens tenuerant Hunni imperium, Sinensibus sæpissime formidolosi & calamitosi hostes; sed ab iis tandem subacti sunt. Pars vero in terras discedens occidentales, in confiniis Europæ, ad fontes fluminis Daicis, & in terminis gentis Basquiræ confedit *k*). Boream versus & meridiem sese extendit. Populus Asiaticus, Siempi nominatus, a gente Topa, quæ etiam Soteu dicitur, ejusdem cum illo prosapiæ, ejectus, in Hunnosolvebatur.

In

*h*) JUL. CÆSAR, De bello Gall. Lib. IV, 7.

*i*) Ejusdem cum Fennicis nationibus eos esse stirpis auctore Cel. REIMER, l. c. p. 120. veri videtur simile; quod vero plane negat Celeb. JOH. BILMARK, in Disertatione Aboæ 1792 edita, continente disquisitionem: *An Hunni sint Fennorum Aborigenes*. Confer: *Muthmasungen über den Ursprung des Finn. Volks.* von F. W. RADLOFF. Abo 1809.

*k*) Caspici maris vicinias Hunnos jam antea inhabitasse, AMMIAN. MARCELLINUS Libr. 31. c. 2; testatur,



In terras magis occidentales hi igitur projecti. Migrationes gentium (*de flora folkvandlingarne*) vulgo appellatæ, inde sunt profectæ 1). Exinde imperii Romani destructio & ruina, novaque orbis Europæi facies.

Maximi sane & fructuosissimi migrationes collaudatæ erant effectus. Inveteratam pestiferam molliem morumque corruptionem Romanæ gentis, Germanica virtus, bellicolum severumque ingenium & probi mores dimovebant debebantque. Renata & renovata, quasi e rogo & cinere phoenix, resurrexit Europa nervosa & valida. Dolet tamen sciam mite humanum cor rabidum animum, quo omnia commutarunt populi irrumpentes. At, turbida sane & furente opus erat tempestate, qua pura redderetur & limpida plaga nebulosa, priusquam radii solis fructiferi terram assequi possent, recentem ut excitarent viriditatem, novasque frondes. Lolium radicitus extirpandum est, ubi fruges succrescent lætiferæ.

Reformata sic Europa; illa vero reformatio, vel, quod igitur idem, indoles mediæ ævi, Germanicæ est originis, Germanicosque redolet mores. Consuetudines enim domesticæ, genus vitæ atque individualitas (quam recentiores vocant) harum gentium, sæculi genium civitatumque formas definierunt. Res itaque, ut gentium borealium characterem nationalem breviter adumbremus, nos hortatur.

Et in mortuam naturam et in homines terræ plaga & cælum suam æque exercent vim. Plus igitur ac opinaris genius

---

1) DEGUIGNES, *Histoire generale des Huns &c.* Tom. I, Part. 2. Livr. 2 seqq. — GIBBON, *Histoire de la decadence et de la chute de l'empire Romain.* Paris 1804. Part. I. p. 377.

nus ab iis determinatur terræ incolarum *m*). Inde facilis habet explicationem, cur borealium nationum mentibus tranquilla ea & pacifica insita sit tristitia *n*), cum indomita tamen & firma fortitudine, imperterritoque animo conjuncta. Indolem hanc gentium septentrionalium filiam esse & quasi imaginem pugnæ, quam in naturam novercalem & duram pugnat humanum genus, plagas boreales incolens, quis non videt? Unde etiam eruenda tristis & fere sacra vis, quæ animum comprehendit historiam septentrionalem pervolventis, mentique lugubrem infigit rerum antiquitus gestarum memoriam. Inde quoque sensus mirifico modo moestus, miti lætitia mixtus, (quem patrius sermo voce *vemodig* peroptime designat), naturæ duritiem, contra quam in septentrione pugnat humanum robur, quasi lugens. Borealem inde lætitiæ, gaudium & cantum plenitudo quædam, gravitas & divina fere voluptas inhabitant, ab eo solum sentiendæ, qui labore duro & assiduo, impetuque animi vehemente, oblectationes magni emit. — Tragoediam ludunt arctoi homines gravissimam, quam lætantes Dii inspeçant.

In terra montana, silvis maximis, densis & obscuris, Germani nati erant vitamque degerunt. Sublimia atque sterilia ibi montium juga, & despectus ad omnes in circuitu partes. Præruptæ & altissimæ rupes, quasi monumenta sempiterna & ad-  
mira-

*m*) De qua re conferas, quæ elegantissime & acutissime dixerit Cælebb. J. G. v. HERDER, *Ideen Zur Geschichte der Menschheit*, Zwt. Thl. & E. M. ARNDT, *Einteilung zur historischen Charakters Schilderungen*.

*n*) Contrariam offerunt imaginem Græciæ gentes. Sub sereno semperque hilari cœlo natis, cum ferrea natura numquam pugnantibus, lusus erat & jocus humana vita, frontem numquam præferens rugosam.

mirabilia, a natura præpotente statuta. Antiquissimæ, manu hominum inviolatæ silvæ, quasi manes steterè priscorum temporum, de annis præterlapsis Deorumque admiranda potentia, mirum ferentes sermonem. Magnitudinem earum immensam majestatemque gravem conspiciens homo, rerum exiguarum despicientia, magnarum vero reverentia persuadebatur. Inde immotæ illius firmitatis idea, in vita Germanorum omni obvia. Strenua virtus, vigor animi imperterritus, sublimis & alta mens, lugubris illa & singularis serenitatis gravitas ardensque libertatis amor, imaginem efficiunt Germanici ingenii, in genere vivendi sentiendique, in cultu divino & poësi conspicuam. Unde factum, ut in armis gens tota esset, & nihil nisi bellicam spiraret virtutem. Inter ferrum & arma natis decus in armis & unica cura; ex his nomen & honor. Libertas gentis carissima possessio, sollicitissimo studio servanda & defendenda. Semper læta & amata, boreali in terræ parte vixit illa, cœlo nostro temperato condonata. Minores primis jam temporibus conditæ societates, inculpatum servabant libertatis amorem. Perpetuis inter se discriminibus & pugnis erectam animi vim retinuerunt. Libertati & bonæ & salutem & vitam immolare gentes Germanicæ avebant. Non illis ad mortem minus animi, quam ad libertatem; fortia facere & pati Germanicum erat. Arminius, Romanis notissimus, (Germanis Herrman), sempiterna gloria fulgens heros, sui sæculi repræsentat ferventem & triumphantem libertatis amorem o).

B

Ger-

- o) Nomen *Herrmanni* l. *Arminii* viri cujusdam proprium fuisse non videtur, sed titulus solummodo honoris, quo insignierunt suos duces *Cerusti*, ab *Herrmannie* (postea *Arimannie*) ductus. Aspiratione vocabulum Francorum gentes elocutæ sunt; *Chermannie*; unde Romanis; *Germani*, *Germania* & *Arminius*. J. A. REMER, *Abriß des gesellschaftlichen Lebens*, Braunschweig 1792. p. 65. — J. G. V. HERDER, l. c. Viert, Thl. p. 25.



Germanus severus & gravis, mente non fucata & ardente Deos coluit. Mythologia hujusce gentis sanctissimis revelatæ religionis dogmatibus erat congruens p). Virtus bellica, per religionem conservata & vicens, prælidium illi fuit firmum; vim, qua ipsa defenderetur, per vices nationi illa infudit.

Cana in promissis & pactis fides, amicitia indissolubilis, atque ardens honoris affectus, Germanicæ erant virtutes. Judices in vitiis, nisi arbitri facti fuerint; libertatem enim ingenuam restringere putabantur. Pugnas ideo iniere singulares ad lites & rixas componendas. Inde ortæ, apud populum libertatis amantissimum cito in usum venire, semperque viguerunt.

Femineum sexum obsequio colebat Germanus maximo, summaque observantia q). Immotus frigidusve coram feminea venustate, sub cælo puro & sereno florescente, manere non potuit. Natura voluptatum lenociniis & blanditiis parum deditis r), purissima flamina efflagravit amor, mites delectationes mitissime præfertiens & desiderans. Ferus vir & validus, in pugnis & præliis vinci nescius, amoris magico quasi araneo sæpissime domitus fuit. Ævi itaque ex indole, nationumque moribus, minime vero sexus feminei contemtu, consuetudo mulieres vi auferendi est profecta.

Chri-

---

p) Eosdem ac Scandiani antiqui olim Germani de Diis professi sunt Mythos, SUHM, omi *Odin og den Hedniske Gudelære*. Kiöbenhavn 1771. p. 40—61. — FR. SCHLEGEL, *Geschichte d. Litter.* p. 22f, 229. 231.

q) TACIT. *De moribus Germ.* C. 8. 18. — JUL. CÆS. l. c. I. 50.

r) JUL. CÆSAR, l. c. VI. 21. — TACIT. l. c. C. 20. — *Studien von DAUB* und CREUTZER, Viert. Band. p. 117. 118.

Christiana verum sua ex parte religio, cujus summa est Dei & humanæ excellentioris naturæ idea, rationi patefacta fideque sanctissima intime amplectenda, tota quanta idealis est. In contemplanda relatione hominis ad Ens sanctissimum & omnibus numeris absolutum illa consistit. Desiderium & nifus in absolutum illud, nunquam his in terris attingendum, gignitur ab ea & jubetur. Religiosa de absoluto quodam perfecto & sancto, quod quasi centrum universi constituit, pervasio, summæque pietatis actionumque piarum idea indelebilis, menti Christianæ incorrupta insitæ sunt societate. Sua igitur indole genium se colentis in idealem transformat, & qua artes et qua sentiendi agendique rationem. Incolam reddit hominem mundi, qui præsentienti & desideranti de absoluto quodam perfecto ænigmata proponit, in altera tantum vita solubilia. Fidem incorruptam, animum in agendo infractum & invictum, reverentiamque summi Numinis sincerissimam, divina hæcce requirit disciplina.

Quibus omnibus consideratis jam in aprico jacet, quæ oriunda esset temporum indoles, Germanico caractere & vera Religione consociatis. Mature Christianam confessæ sunt Religionem Germanicæ nationes, utpote suæ confinem & amicam. Quæ ipsa quidem feram illam & effrenatam vim, natura illis inhærentem, sensim mitigavit, & in pacificum atque firmum commutavit robur. Armis Germani veteres omnia, Religione arma nepotes fanciebant. Flagrans & ardens aulam Deorum splendidam & magnam (*Walhall*) intrandi desiderium, in mitissimam redactum est sæcli Christiani, æterna amœnitate, virtute, gaudio & felicitate conspicui, cupiditatem. Purissimi hinc omnimodi sensus. Amor etiam omnis in idealem & tenerum abiit affectum, Deo, rebus divinis & hominibus cultum tribuens fere æqualem. Amor religione, religio amore continebatur. *Illa ab hoc nunquam disjuncta erat, lucis instar,*  
quæ



quæ calore numquam caret; & cœlestia quoque terrestres amores spirare cœperunt. Tanta muliebris lexis reverentia, ut in cultum fere abierit. Summa enim innocentia modestique sola conciliatrice, supplices ad Deum manus tollere ausi sunt hujus ævi homines. Salvatoris mater sanctissima, hominum peccata in cœlis deprecari censebatur; illius vero in terris femineus lexis imago. Inde reverentia; inde summa hujus observantia. Deus igitur & Religio illis summa; patria gloriaque proxima; amor vero in pectore casto, vitæ veluti lumen & flos, suaviter spirans odores, animum sensusque excitantes. Carptus ille numquam nec spoliatus flaccescere debebat.

Genium temporis hinc ortum *Romanticum* vocant, indolemque ille effecit mediæ ævi. A qua quidem ipsa neque Normanni, circum maria omnia errabundi bellatores, abhorrent, qui proximum in rerum, quas tractamus, serie occupant locum. Primis migrationum motibus sedatis, arctoarum nationum maritimæ expeditiones Europam perturbarunt. Sanguinis ipsi & stirpis Germanicæ, erectam tenuerant boreali vi canam & antiquam virtutem. Genium fere Romanticum natura redolet excursionum & occupationum, quibus dediti erant. Poëtos amorem, quandamque Romanticam mentem a domiciliis, in Borea collocatis, secum tulerunt. Tantum enim abest ut in Gallia hac primum essent imbuti, ut eandem e contrario ipsi & ibi & in omni, quam pervagati sunt, terrarum parte, divulgaverint. Itinerum videlicet, periculis & discriminibus conspiciuorum, cupidinem maria stimularunt finitima, robor nationum provocantia. Pericula audacissimo ambientes animo, temere adeo semet illis objectasse hos populos judicaret eisdemque fere dementiæ accusaret, qui prudentiam consuluerit & sedato affectu aula eorum circumspexerit,

Vagæ

Vagabundi autem cum essent, plurimasque visitarent Europæ nationes, indoles eorum Romantica sensim est divulgata, quæ, parte Septentrionali Galliæ ab ipsis occupata, inde quasi ex fonte, in omnes defluxit vicinas terras. Cultus vero amœnioris morumque politiorum sedes, meridionalis Galliæ pars merito est cœlenda s). Ex Hispania ad partem, ex Italia vero inprimis, vitæ elegantia major & cultus cotransmigraverat. — Quæ vero omnia cum confluisissent, ævum procreatum est celebratissimum, quod *das heroische Zeitalter der Fränkisch-Germanischen Nationen*. Celeb. HEEREN apud sine appellat.

Multifarii quidem hujus ævi fructus; flos vero illius in ordine conspiciebatur equitum, quem, gloriæ quasi & fortitudinis gremio editum, almus educavit amor, aura tanquam cœlesti Religionis sanctissimæ totus. Stirpem vero, unde hæc enata videatur militantium societas, jam exponere conabimur.

Germanorum duo fuere civium ordines: *Liberorum & non Liberorum*. Honoratissimo illo ingenuus gloriabatur vir; hunc despectui habebat & contemptui. Bella vel cuncta convocata civitate (*Herrbann, Heermannie*), vel Comitatu principum (*Geleit*) gercebantur t). Liberi cives soli in exercitum universæ civitatis admittebantur. Hunc ii constituiebant, qui *Liberi* quidem nati, belli vero, prædæ & rapinarum cupidi, imperio se dederant & ductui viri cujusdam in periculis spectati, bellicæque virtute & strenuitate celebratissimi, qui sic illis imperans, stipendia solvebat &, pro dignitate, præmiis ornabat u).  
Sub

s) A. H. L. HEEREN, l. c. p. 129.

t) J. A. REMER, *Abriß d. Gesellsch. Leb.* p. 65. — *Studien*, Zwt. Bnd. p. 175.

u) Eandem antiquis temporibus fuisse rationem & Galliæ & Germaniæ, docent: JUL, CÆSAR, l. c. VI. 15, & TACIT, l. c. C. 13.

Sub quo qui stipendia merebant, libertatis jacturam fecisse existimabantur, atque ex ordine *liberorum* honestissimo detrusi, ab his despiciebantur. Ad hostem totius civitatis opprimendum omnis collocabatur pubertas (*Heerbann, Heermannie*); ad privata vero jurgia & certamina profliganda, suo comitatu (*Geleit*) usi sunt cujusque partis principes. Illa rariora bella; hæc semper flagrabant disidia. Proprios intra fines silente Marte, exteris apud nationes pugnae strepitum & tumultum ambiabant adolescentes nobiles, suo stipati comitatu v). Rixis vero omnibus compositis, cum, ubi armis se exercerent, campus non esset, militaribus ludis & exercitiis, corporis vires corroborantibus, toti se dedere. *Liberorum* vero, rarius in armis sese volutantium, indoles bellica & militaris exercitatio sensim frigere & torpescere inceperunt. Cito itaque compertum est, his multo ad bellum aptiores comitatus esse, quippe qui armis & cruore se semper delectarunt. Exinde in contemptum delapsus est honestus *liberorum* ordo. Isto autem ex comitatu, quasi ex stirpe, societas equitum excrevit illustrissima. Cujus quidem originis imaginem præ se ferunt in arma equitum propensio, vagabundæ vitæ studium, atque mens ad pericula obeunda novasque & insuetas res quærendas parata. — Ad hunc ordinem fere omnia relata sunt.

Neque pueros educandi hujus temporis ratio, nisi eo tendebat, ut illos strenuos & firmos formarent equites. A matribus & domo parentum ætate adhuc tenera removebantur pueri; illustri, parentibus caro & grato equiti, educandi tra-

---

v) *Vasallis* quoque nomen illud insigne *militum* sæculo novo est tributum. Munus, quo, accepto *beneficio*, in aulis sancti sunt *seniorum*, *militia* vocabatur. Ipsi *Vasalli militare* dicebantur. — *Studien*, Zwt. Bd p. 77. Confer. Du CANGE *Glossarium ad script. med. & inf. Latinit.* Tom. IV. *Miles*.



debantur, ejusque in aula juveni cuidam nobili, qui ibi officia præstabat, majori natu committebantur. Animo adhuc molli & flexibili veneratio Religionis, Dei, libertatis, patriæ, gloriæ, innocentæ femineique sexus instillabatur. Exercitationes corpus roborantes, maximæ æstimabantur necessitatis. In corpore nempe valido solum & duro, animum firmum, vera & sancta honorantem, illaque prædicandi & defendendi vi gaudentem, vivere posse recte judicarunt. Solemniter magnæ pompæ, ad aram summi numinis, coram mundi salvatoris & sanctorum imaginibus, armis primum induebatur juvenis. Ensem accepit consecratum, quem in præsidium ecclesiæ, in tutelam justitiæ & innocentæ, honoremque feminei sexus, nec non infidelium ferret perniciem; quibus se totum devovit.

*Torneamenta* quoque, his temporibus celebratissima, rerum bellicarum servabant studium & affectum, salvumque retinebant ingenium jam prævalens romanticum. Quæ ipsa, ordine equitum adulto ergoque sæculo XI:o, inventa fuisse, eorum probant finis & institutum. Non enim solum in armorum exercitationem, sed quoque ut equites ad officia, quæ injungerent mores equestres, rite et masculè colenda excitarentur, femineæque ut spectatum admisæ delectationem inde caperent jucundam, celebrata sunt x). Ex his quidem horum maxime præ-

---

x) Francogallicæ eadem esse originis, extra dubium censemus positum. Nationis etenim hujus in exercitia corporis hoc tempore propenso, elegantior cultus & humanior, quo sua ex nativitate conspicuæ fuere torneationes, id probant. Neque denominatio: *confictus & ludi Gallici*, qua hoc ævo notæ erant, obscure hoc testari videtur. Narrant præterea Chronica duo Turonensia, equitem Francogallicum *Gausfridum de Pruliaco*, horum esse auctorem,

prælucebat temporum indoles. Summa corporis vi & exercitatione, qui victoriam reportabat, præmiis a feminis, ludos inspectantibus, ornatus est.

Hæc autem præmia eo majoris putabantur pretii, quo majori femineus sexus reverentia & obsequio erat cultus y). Cujus rei, supra jam obiter laudatæ, plura ut afferamus specimen, locus svadere videtur. Indolem enim & characterem cujuscunque temporis, consvetudines ejusdem & mores optime depingunt. — Ensem itaque cum accepit eques sacratum, se, ad feminas numquam culpandas culpatasque defendendas, jure-

---

"Anno 1066. Gaufridus de Pruliaco, qui Torneamenta invenit, apud Andegavum occiditur", memorie Chronicon prodit Turonense; Chronicon vero S. Mart. Turon. "Anno Henrici Imperatoris septimo & Philippi regis sexto fuit proditio apud Andegavum, ubi Gaufridus de Pruliaco & alii Barones occisi sunt. Hic Gaufridus de Pruliaco Torneamenta invenit". Confer; DU CANGE: Glosarium ad scriptores mediæ & infimæ Latinitatis. Tom. Sext. Torneamentum.

y) In ridiculum hoc denique abiit. Francogallicæ gentes, in cultum perpolitum & fere molliorem facilitatem mire semper propensæ, in ineptum imprimis inciderunt. Testantur hoc denominatio: *esclave* ou *serviteur de la Dame*, singularesque initæ pugnæ, quibus dijudicaretur, uter vehementius aut amabat aut amabatur. "*Des Dames & des Demoiselles amenoient quelquefois sur les rangs ces fiers esclaves attachés avec des chaînes, qu'elles leur ostoient seulement lorsqu'entrés dans l'enceinte des lices ou barrières, ils étoient prêts à s'élancer. Le titre d'esclave ou de serviteur de la Dame, que chacun nommoit hautement en entrant au Tournoi, étoit un titre d'honneur qui ne pouvoit être acheté (que) par de trop nobles exploits*". DE LA CURNE DE SAINTE-PALAYE, *Memoires sur l'ancienne Chevalerie*. Tom. I. p. 94. 95.



iurejurando obstrinxit. Armaturam ad torneamenta expositam digito vel baculo tangens, convicii criminis equitem accusavit contumeliis violata femina z); peccati vero hujus convictus poenas luit. Victo præterea in torneationibus, earumve regulas lædenti equiti, præsidio erat inviolabili vexillum, quod *coevrechief de plaisance* Galli vocarunt; idque juveni cuidam nobili (*Ehrenknappe, Escuyer d'honneur*), vel equiti, (*Ehrenritter, Chevalier d'honneur*), in incipiendis torneamentorum ludis a feminis traditum est. In gratiam & tutelam (*le mercy des Dames*), numquam violandam, feminæ eum excipiebant, cui, illis imperantibus, impositum fuerat idem aa). Ludis porro aliis indulgebant & consuetudinibus, eandem in feminas observantiam significantibus. Celebratissimi sunt ludi: *les voeux du Paon ou Faisan & les Cours d'amours*; quos nominasse satis sit. Coloribus denique amatæ puellæ ornatus, in hostem irruit eques, invictum se, his auspiciis, sentiens. — Quibus omnibus interjectis, ad rem ipsam persequendam redeamus.

Ad summum vero elegantiarum & gloriæ culmen, admiranda militantium societas præsertim in bellis pervenit sanctis, quæ dicuntur, ad terram sanctam recuperandam gestis. In *expeditionibus* enim, uti appellari solent, *cruciatibus*, ipsa equitum indole genioque temporis excitatis, altissimum suæ celebritatis ascenderunt gradum. Quomodo vero orta sint sancta hæc bella, breviter exponamus.

C

Ve-

z) *Studien*, Zwt. Bnd. p. 203. — DE LA CURNE DE ST. PALAYE, l. c. Tom. I. p. 91.

aa) DE LA CURNE DE ST. PALAYE, l. c. Tom. I. p. 101. — *Studien*, Zwt. Bnd. p. 211.

Veneratione pia ab hominibus loca quædam recoluntur & inspiciuntur. Fortium enim actionum testes, æternæ quasi statuæ sunt, æternam herois loquentes laudem. Invisibili & inexplicabili, firmissima tamen vi, ceterarum rerum conscientiam fere extinguente, sensus afficiuntur loca hæcce visitantis, quorum, si simul religiosa quadam reverentia præcordia permoveantur, cultus excitatur pius. Regiones igitur, ubi a Deo missus mundi salvator, amore in genus nostrum debile ductus, ad homines consolandos & liberandos apparuit, vixit, docuit, cruciatus & mortuus est, cultu fere divino prosequitur pius, res cœlestes puro pectore spirans animus. Religiosas idcirco in eas terræ partes hujus ævi fecerunt homines peregrinationes, ubi divinæ personæ quondam commoratio, coelum inter & terram propius quasi connexerat commercium. Animum ibi, divina adspirante aura, erigere suum & firmare, pietate ferventes & flagrantes ardebant, qui cordi vim ad casus vitæ & infortunia, demissa mente sanctoque obsequio subeunda, infundere concupiverunt. Religiosa ævi îndoles vulgatissimas hæc reddidit peregrinationes, multis etiam si & maximis molestiis periculisque conjunctas, quas præterea quæstus & lucrum permittit adjuvitque, usque dum peregrinantium multitudo, timorem injiciens, ad eas interdendas principes perduxit orientales. Pii hinc advenæ eorumque commercii gratia focii vexati fuere. Sepulcro vero sanctissimi salvatoris foedato, Christianisque everfis templis, tumultus cunctam per ecclesiam miscebantur vehementissimi. Ad supplicia de infidelibus Islamismi sectatoribus sumenda, cruce notata in orientem innumera devolvebatur hominum turba. — Originem hanc esse bellorum, quæ sanctorum nomine celebrantur, veritatis amore ductus, partiumque studio remotus quisque, facile concedet. Minime tamen negandum, non paucos rapinarum cupidine & proprii commodi studio commotos, hujus

jus itineris petiisse societatem. — E sanctis his pugnīs, quasi e foco, indoles refulget mediū ævi. Hinc & illinc, antecedente tempore, micantes pietatis, virtutis morumque equestrium, ut ita loqui liceat, dispersos radios, in centro quasi speculi collegerunt hæc migrationes, unde dein lux & calor in sequentia sæcula sunt dispersa. Splendoris implevit fastigium equestris ordo, summaque perfectionis attigerunt culmen literæ & artes romanticæ.

Suo enim quasi ex calyce poësis sese hoc ævo explicavit romantica. Flos quidem admirandus, innumeris coruscans coloribus, mite & suaviter delectans, gaudium & voluptatem ubique excitans. Tamquam ex intimo hymnorum, ad Christianum cultum pertinentium, enatus romanticus cantus, in veteris Germanicæ poëseos mascula schola educatus est. Re vero ipsa accuratius expōsita, omnia hæcce dilucidiora fore speramus.

Abhorrebant & detestabantur Christiani antiqui ethnicos cantus, pagana quasi sorde & squalore contaminatos, cultuque Deorum commentitiorum pollutos. In sacris celebrandis, summum numen precibus & laudibus efferebant, psalmos cantantes Davidis ceterosque Codicis sacri cantus atque hymnos; quippe qui modulatione simplici sed facunda, elegiacum sonantes tonum sensusque moventes mitissimos, sunt compositi. Qui omnibus apti, omnium captui familiares, quasi concentum totius effecere Christianismi. Cunctis vero hanc poësin terris & nationibus communem, res circa divinas, quibus se solis delectavit, commorantem, Christianismi indoles, in infinitum quoddam spectans & intendens, ideali imbuit natura. Metrum & numerus, quasi mundana & evanescentia, curæ non erant; musica vero, infinito desiderio, cupidine numquam satiata, tre-

pi.



pidante vibratione summas petens regiones, in poësin dominari incepit. Simples enim & molles toni mitissimum spirant gaudium, placidumque dolorem. In infinitum illud inexplicabile, suspirante spectabant præfensione Christianorum hymni sacrique cantus. Imagines venustatis perfectæ supra nubes quærebant, ubi felicitatis & gaudii magicum præsentiebant elysium. Hinc omnia poëseos genera mollibus delectari cœperunt sensibus. Homœoteleuta vocabulorum, rythmi antiquorum neglecti occuparunt locum; musicæ illa quidem magis apta poësiq;e, ubi musica regnatix erat, & lyricum elementum superans. Quæ verborum homœoteleuta, vocem quasi reciprocam efficientia, dolentis & desiderantis aptissime loquantur animi sensus. Dolores nempe suos pectus necessitia affectum communicare amat, delectationeq;e maxima vocem audit resonantem & consolatoriam bb).

Poësis vero Germanica diversa valde erat indole & natura. In septentrione nata, hujus præ se tulit imaginem. Densis in silvis, montium inter altas & scabras rupes, umbras obscuras, vagantes & tremulas diffundentes, primi sonabant vatium cantus. Noctes sideribus illustres, lunæ magica collustratæ luce, quæ, tenebras superans, diem mentitur, phan-

---

bb) Acu rem eos minime tetigisse judicamus, qui homœoteleuta exinde nata statuunt, quod lingua rustica Romana illiusque filia, quæ nomine *Romanzo* sunt cognitæ, numero & accentu carentes certo, profodiæ regulis subijci non potuissent. Humanam nempe mentem, intime & ardentem sentientem, cantumque, ubi lyricum dominatur elementum, ad homœoteleuta quærenda esse pronum, merito defenditur. Carmina Arabica, ex antiquis inde temporibus hoc ornatu instructa, non obscure idem indicare videntur, J. G. v. HERDER, *Sämmtliche Werke*, *Zur schönen Litterat. u. Kunst*, Sieb. Thl., p. 278, 283, seqq.

phantasiæ vividæ obnubilam infundunt, sed mollem tristitiam cc), atque in speluncis lucisque opacis umbras creant errantes & spectra. Non igitur mirum, si tristitia & ferocia fingebat arctoræ gentis phantasia, cum gigantibus jocans & monstris. Immanis terrarum natura, audacia in cœlum intendens cacumina, sensus movebat obstupentes & gigantes. Quod ad nationale ingenium procreandum non parum Borealis contulit Mythologia, tragœdiam representans, ubi omnia magna, valida & gigantesca. Arctoa his e fontibus scatebat poësis, suam numquam diffitens originem, quam carmina Mythica ceteraque ex cana illa ætate nobis adhuc residua, aperte testantur.

Cantus vero nationum spirant indolem, & domi torpescere septentrionis incolæ fastidio erat. Animus ardens, bella & pericula gessiens, in remotissimas eum agitavit terras. Præclara facinora vitæque discrimina deliciis fuere. Quidquid vaga itinera periculosi & admirandi obtulerint, cantus celebrabat. Ubi cumque vero locorum resederint, memoratu quæ attulerant digna, & fabula & carmen famæ committebant. Qua re effectum est, ut remotissimum in viciniis locaretur, in magicum autem procul proximum removeretur. Sic omnia confundebantur. Ipsum vero characterem cantus, vis animi gentium inexpugnabilis, pericula & admiranda itinera, spectris & gigantibus sollicitata, determinarunt.

Talis cantus septentrionalis. Cui cum Christiani conso-ciarentur hymni, romantica effloruit poësis, mirifica illa quidem & splendida, horum temporum sentiendi agendique ratio-

---

cc) "Une interessante tristesse". Madame STAEL v. HOLSTEIN.



tionem suaviter respirans. Pietatem, amorem & bellicam virtutem nervi sonabant citharæ. Gaudium, jocum & voluptatem vitæ vigentis dolorumque liberæ, elegiacis non raro confonantibus tonis, romanticum modulabatur melos. Meridionalibus primum effloruit Galliæ Hispaniæque regionibus flos hicce admirabilis, cito tamen in remotas terras suas spargens delicias. Reges, duces & comites exercitiis his delectabantur lætis. Arces, castella & palatia cantus & joci vocem volubant. Fabulæ (*Fabliaux, Contes*), certaminaque cantus (*Jeux partis du Cours d'amour, corte d'amore, dd*), summæ fuere delectationes, & scientiæ, quas *latantes* vocabant, (*gaya ciencia, gay saber, ee*), vitæ in umbras lucem immiserunt almam. Heros et poëta, (*Troubadour, Trovadore, Trouver, Menetrier, Minstrel, Ministerial, Minnesänger, ff*), eadem sæpe persona; huic idem ac illi habitus est honor. Cithara hujus unica possessio. Terras illa focia visitanti ars lætifera arces & domos recludit. Canens vixit, canens non raro mortuus est. Vitæ jucunditatem suavitas æquavit mortis *gg*).

In duo se romantica poësis dividit genera, quæ recentio-

*dd*) J. G. EICHORN, *Geschichte der Litteratur*; Zwt, Bnd, p. 154. 169.

*ee*) J. G. v. HERDER, *Sämmtl. Werke. Zur schön, Litt. u, Kunst. Siebent, Thl.* p. 276.

*ff*) J. G. EICHORN, *l. c.* p. 153. 159. 181. 182. 191.

*gg*) Facta hac rerum expositione liquere videtur, Arabum incurfioni ingenium romanticum suam non debere originem, ut, inter alios, Celeb. HERDER, *l. nuperr. c.* p. 274, 281, 282. fluitit Germanicæ enim illud esse stirpis merito contenditur. FR. SCHLEGEL, *Geschichte der Litteratur*, Upsala 1816, p. 281, seqq.

res *Romance* vocant & *Lyra*. Prius illud, horum temporum *Epos*, affinitatis cum septentrionali poësi indicia profert certissima; hoc ortum e Christianis ducit bymnis. Ex illo carminis genere epicæ deductæ sunt narrationes, quæ nomine *Romaner* apud nos celebratissimæ sunt, atque e lingua vernacula Galliæ, quæ *Romanso* est appellata, suum acceperunt nomen *hh*).

Breviter, quæ proposita erant, his absolvimus. — Esse & fuisse ævi medii ardentissimos & laudatores & detrectatores, nemo nescit, quorum *hi* barbariei, superstitionis & feritatis idem incusant, præfens ad sidera usque ostentatione æque sonora ac tumente extollentes tempus. Ex altera vero parte mores, instituta &, præ ceteris rebus, virtutes heroicæ fortiaque hujus ævi facta, summa ab *illis* celebrantur laude. Quos quidem utriusque opinionis propugnatores fines, qui inter nimium & parum constituuntur, excessisse concedendum est. Attamen, quod ad nos attinet, negare non possumus, propius illorum nostram accedere sententiæ, idque tanto potius, quo est jucundius iis cum vel delirare, qui nimii in laudando fuere, quam eorum annumerari catervæ, qui labore intento atque sudore deprehendenda vel minima invenire fatagunt. Neque vero hanc excusationis causam quærere opus nobis fuit. Medii enim ævi, genio suo romantico conspicui, tandiu gratam servandam censemus & venerandam memoriam, quamdiu mentis piæ morumque proborum & virtutum invictarum præclaris humana commoventur pectora exemplis. Qui vero in illa ætate nihil vident nisi obscuram noctem, feritatem

---

*hh*) J. G. EICHORN, l. c. p. 146.

tem & immania facinora, secum reputent, quæsumus, solis deficientis partem non obscuratam, eo amoeniori splendere luce. Totus etiam si deficiat, tenebræ tamen densæ non ubique dominantur: quin potius hic & illic lucidæ micant regiones.

---

Corrigenda:

Pag. 16. not. y 1. 5: *amabat* aut *amabatur*, leg. *amaret* aut *amaretur*.

---